



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio LXXVI. De iis quæ Christus agere potest aut pati prout in hoc
Sacramento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

XIII.
Hinc tamen
non sequitur
substantiam
panis con-
verti in ac-
cidentia cor-
poris Christi.

Dices, ergo substantia panis convertitur in hæc accidentia. Vasquez disp. 187. concedit consequentiam. Melius tamen negatur; accidentia enim corporis Christi non substant proprie nec uniuntur accidentibus panis, ac proinde non exigunt substantiæ panis destructionem; in illud autem solum convertitur substantia panis, quod ob unionem cum speciebus panis, habet cum illius substantiâ oppositionem in ratione substantiæ accidentibus.

XIV.
Videm totum
sanguinem ex
vi verborum
ponatur sub
speciebus.

Quoad sanguinem, idem dicendum cenfeo, si informetur animâ rationali, si verò habeat formam sibi peculiarem, tunc dici potest poni totum sanguinem ex vi verborum sub speciebus consecratis.

XV.
Quam in
hoc Sacra-
mento po-
nantur per
concomitan-
tiam.

Unio itaque hypostatica, anima, divinitas & subsistentia verbi ponuntur per concomitantiam in Sacramento, dotes etiam corporis gloriosi, item gratia & reliqua dona supernaturalia. Dices, vox *meum* videtur peculiari modo denotare subsistentiam Christi, ergo illa ponitur ex vi verborum, & non tantum per concomitantiam: quod à fortiori urget de unione. Respondetur cum Patre Suarez disp. 51. sect. 6. licet vox illa *meum* denotet unionem illius corporis, cum verbo, non tamen denotare quod debeat habere unionem illam ubicumque est. Unde etsi fingere corpus quod ponitur in Sacramento non habere ibi unionem cum verbo, adhuc verè diceret Christus: *Hoc est corpus meum*; ad hoc enim sufficit quod aligubi sit ipsius. Nec etiam cor-

pus formaliter significat corpus subsistens, sed tantum partem substantialem naturæ humanæ; rectè enim dicitur humanitas componi ex corpore & animâ, cum tamen humanitas non includat subsistentiam, nec est major ratio cur corpus in conceptu suo involvat subsistentiam, quam anima, quæ tamen prout hæc voce significatur, non includit subsistentiam.

Pater etiam & Spiritus Sanctus sunt per concomitantiam in hoc Sacramento ratione naturæ, quam habent cum Filio communem. Dices, ergo quando communicamus, sumimus & manducamus etiam Patrem & Spiritum Sanctum, Nego consequentiam; sicut enim non dicitur Pater aut Spiritus Sanctus pro nobis passus aut mortuus ratione hujus identitatis in naturâ, ita nec dicuntur manducari; hæc enim ratione communicationis idiomatum peculiari modo competunt Filio, hæc siquidem denominationes peculiariter cadunt supra suppositum.

Difficultas est: Utrum quantitas & reliqua accidentia organica carnis, ossis, &c. sint in Sacramento ex vi verborum, an tantum concomitanter: qua in re cum supra dixerimus per corpus intelligi corpus organicum, seu diversis accidentibus diversâ humani corporis membra constituentibus dispositum, videtur veritas verborum requirere, ut hujusmodi accidentia in Sacramento ponantur, & consequenter existimo probabilius cum Patre Vasquez, poni ex vi verborum & non merè per concomitantiam.

XVI.
Pater etiam
& Spiritus
Sanctus sunt
in Euchari-
stia per con-
comitantiam.

XVII.
Quantitas
& reliqua
accidentia
organica
corporis
Christi po-
nantur in
Eucharistia
ex vi ver-
borum.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA S E X T A.

De iis quæ Christus agere potest aut pati prout in hoc Sacramento.

SECTIO PRIMA.

*Vtrum Christus ut in hoc Sacramento
moveri possit aut alterari, vel
alia corpora alterare.*

I.
Quo sensu
dicas S. Tho-
mas corpus
Christi in
Eucharistia
non existere
localiter.



ATER Suarez in Commentario articuli quinti, quæstionis 76. rectè advertit, dum Sanctus Thomas illic docet corpus Christi non esse in loco; seu non existere localiter, solum velle, non existere in loco commensurative, seu modo quantitativo, ita ut contineatur ab ultimâ superficie illius quantitatis, eo modo quo res una quantitativa continet aliam, corpus autem Christi ita est sub quantitate panis, ut intemè præsens sit omnibus illius partibus & punctis, quod vocat Sanctus Thomas esse in iis per modum substantiæ.

Dicendum itaque, Corpus Christi verè moveri in Sacramento motis speciebus. Probatur: definit enim Concilium Tridentinum sessione 13. capite quinto & sexto, & canone sexto & septimo, Sanctissimum hoc Sacramento, quod non solas species, sed etiam corpus Christi includit, solemniter circumgestari, deferri ad ægros, manducari, &c. Hæc autem omnia innunt motum localem, cum non species tantum, sed etiam corpus Christi verè & propriè fiat de novo præsens successivè diverso spatio, qui antea præsens non erat. Neque hoc negavit sanctus Thomas quæst. septuagesima-sexta, ut vult Caietanus, sed solum ait non moveri per se, sed tantum per accidens, motis speciebus.

Ad hunc autem motum Christi per accidens, seu ad motum alterius, sufficit motum illum ab agente naturali fieri in speciebus, & ubicationem novam, quo motu & ubicatione productâ sequitur ob unionem illam physicam & alligationem corporis

II.
Christi cor-
pus motis
speciebus
verè move-
tur in Eu-
charistia.

III.
Quo pacto
corpus Chri-
sti movetur
ad motum
specierum.

corporis Christi ad species, produci in corpore Christi ubicationem etiam novam indirecte, & consequenter ab agente naturali, vel à Deo solo, si ubi ratio sit supernaturalis. Hoc autem sufficit ut dicatur moveri per accidens, sicut moto corpore Petri Paulo movetur non tantum illius anima, sed gratia & alia dona supernaturalia, si quæ illi insint, & hoc sufficit ut Christi corpus, licet per accidens, proprie tamen dicatur moveri, manducari, circumgestari, &c.

IV. Quæres, à quo moveri possit Christus in Sacramento? Inprimis à moyente species posse indirecte, & per accidens moveri jam ostensum est; directe enim & immediate nullum agens naturale corporeum potest Christi corpus movere, cum non possit illud attingere, nec per se, nec per ullum instrumentum, cum quodvis instrumentum agentis naturalis corporei sit corporeum, & consequenter attingere directe & immediate non possit vel rem spiritualem, vel spirituali modo existentem. Probabile tamen est Angelum, sicut potest movere alium Angelum vel animam immediate, ita si Christus permitteret posse movere corpus Christi directe & immediate, si ubi ratio non sit supernaturalis.

V. Difficultas est, an Christus possit movere se in Sacramento. Quoad motum progressivum certum videtur non posse; ad hoc enim requiritur extensio ad locum, cum una pars debeat præcedere aliam, & consequenter esse in diverso loco ab illa, quod tamen rei quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte spatii repugnat, ubicumque etenim est pars, debet esse totum. Probabile tamen est quod affirmat Suarez hęc, disputat. 52. sect. 1. & Coninck quart. 76. articulo sexto, dub. primo, sicut datur in beatis motus quidam simplex qui à nonnullis latro dicitur, per quem motum spiritus corpora assumpta tota simul unico tractu movent, ita & Christum in Sacramento quantumcunque modo indivisibili existat, posse se movere, cum nec species huic motui repugnet, nec corporis Christi indivisibilis existentia. Imo verisimile videtur Christum se hoc modo movisse quando species miraculose ab uno loco ad alium movebantur, nullâ apparente illius motus naturali causâ.

VI. Quoad secundum de alteratione, certum est ratione dotis impassibilitatis non posse de facto ullum agens naturale Christi corpus alterare, saltem producendo qualitatem in eo corruptivam. Sermo itaque est de corpore Christi, casu quo existeret in Sacramento passibile, sicut in nocte cœnæ, utrum scilicet ab agentibus naturalibus creatis alterari posset, non obstante modo illius existendi indivisibilitate; à Deo enim non est dubium quin possint variæ in eo qualitates produci.

VII. Oham, Gabriel, Major, & alii ex scholâ Nominalium asserunt naturalia agentia posse corpus Christi ut existit in Sacramento alterare, & ea vicissim alterare, non supernaturaliter tantum, & ut instrumenta Dei, sed naturali virtute.

VIII. Communis tamen sententia, à qua non facile est recedendum, affirmat, nec ab Agentibus naturalibus posse naturaliter corpus Christi alterationis motu immutari; nec ea similiter immutare: ita Sanctus Thomas quart. 76. articulo septimo, Scotus in quarto. dist. 10. quart. 9. Suarez hic, disp. 52. sect. 2. Vasquez disp. 191. num. 22. & alii passim. Ratio tamen hujus conclusionis, saltem convincens non tam facile assignatur, ut fatentur omnes. Unde quoad secundam partem

Coninck citatus eam negat, Suarez etiam valde putat esse dubiam, & utramque non nisi probabilibus rationibus ostendi posse existimat.

IX. Suadetur itaque prima pars, quia secundum omnia quæ in agentibus naturalibus perspicimus, videmus requiri contactum quantitativum inter agens & passivum, saltem quoad subiectum partiale; ergo nullum agens naturale quantitativum potest agere in corpus Christi, quod non potest naturali modo contingere. Confirmatur: omne accidens, quantum colligere possumus experientiâ ex omnibus rebus petit produci modo extenso, & in subiecto eo modo existente; ergo non potest produci in corpore Christi prout in Sacramento.

X. Si tamen detur partiale subiectum extensum, probabile est posse agens naturale producere qualitatem extensam in partiali subiecto in extenso; sic enim secundum probabilem sententiam objecta externa producunt in animâ rationali species impressas, ita tamen ut partialiter eas producant in corpore. Nec dicas hic etiam esse partiale subiectum extensum, nempe quantitatem panis, sicque posse agens naturale in corpore Christi producere qualitatem aliquam naturalem, simul illam producendo in partibus quantitatis; hoc inquam non sufficit, primò quia probabilius puto qualitates non recipi in quantitate, sed in solâ substantiâ. Deinde licet quantitas illa unionem quadam alligativâ conjugantur cum corpore Christi, non tamen per veram unionem physicam, per quam reddatur corpus Christi subiectum illius quantitatis, huiusmodi autem unio requiritur, ut quantitas concurrat cum corpore Christi per modum unius subiecti ad qualitates ab extrinsecis agentibus recipiendas, unio autem hæc alligativa non magis ad hoc juvat, quam si essent solùm sibi intimè præsentia.

XI. Secunda etiam conclusionis pars suadetur; sicut enim corpus & qualitas corporea postulat natura sua modum existendi, in loco extensum & quantitativum, ita eundem modum postulant ad hoc ut possint connaturaliter operari; modus enim operandi sequitur modum existendi. Deinde requiritur videtur ut agens & patiens inter se proportionentur ubi utrumque habet partes, & connaturaliter petit extensionem. Hęc ratio probabilis est, & tantum probabilis; nec enim negari potest, quin Nominalium sententia, quam hic sequitur P. Coninck, suam etiam habeat probabilitatem, nec facile refelli possit, ut asserit Pater Suarez disp. 52. sect. 2. conclusione 3.

XII. Quæres: An Christus ut in hoc Sacramento, exercere possit actus materiales immanentes? Affirmant universim Nominales, unde aiunt Christum ut in Sacramento posse videre, audire, & alios actus sensuum elicere; cum enim secundum illos possit Christi corpus per qualitates, etiam corruptivas ab Agentibus extrinsecis alterari, à fortiori poterit species ab iisdem recipere.

XIII. Hęc sententia probabiliter sustineri potest, & dici Christum hoc modo in Sacramento existentem posse actus immanentes elicere, tum sensuum exteriorum visus, auditus, &c. respectu illorum objectorum, quorum habet species, tum interiorum, & disparitas reddi inter actiones immanentes & transeuntes, quod ad has agens naturale habens partes, requirit modum existendi quantitativum, tum in agente, tum passivo, cum agere debeat trajiciendo actionem per certam spheram secundum diversos radios & angulos, per

non potest, nec ea altere.

Nullum autem agens naturale quantitativum potest hic contingere corpus Christi, ergo nec in illud agere.

Præ ad alterationem passivam ita ad alteram requiritur modus existendi extensus.

Dicunt Nominales posse Christum ut in hoc Sacramento videre, audire, &c.

Hęc Nominalium sententia probabiliter defendi potest.

A quoniam moveri possit Christus in Eucharistia?

Positum Christus movere se in hoc Sacramento.

Quoad alterationem certum est ratione impassibilitatis à nullo agente naturali posse Christi corpus per quantitatem corruptivam alterari.

Dicunt Nominales in eo casu. & alterari illud naturaliter posse, & alterare.

Christi corpus ut in Eucharistia existens, ab agentibus naturalibus alterari naturaliter.

Ed. v. 1. 1. 1.

per diversum situm & distantiam partium, quod ad actiones immanentes non requiritur, nam agens immanenter non habet propriè spheram, sed singula partes agentis seu passî (idem namque sunt) efficiunt & recipiunt singulas partes effectus.

XIV. Dices, si duo agentia quantitativa extensa inter se penetrarentur, ut ferrum candens cum alio summe frigidum, agerent in se invicem, ergo non requiritur hujusmodi spheram, & distantia, nec radii, anguli, &c. cum hæc duo agentia nihil habeant hujusmodi. Aliquis fortè negaret antecedens, nempe illa duo agentia posse tunc in se invicem agere. Sed illo omisso negatur consequentia; etsi enim totum unum ferrum penetraretur cum alio toto, non tamen penetrantur singula partes unius cum singulis partibus alterius, ac proinde datur & spheram, & distantia sufficiens ad agendum.

XV. Tandem circa actus intellectus, quos scilicet elicere possit Christus in hoc Sacramento: quoad illos qui nullam habent à sensibus dependentiam, quales sunt visio beatifica, scientia infusa, &c. nulla videtur difficultas quin Christus in Sacramento existens possit eos elicere. Quoad alios verò, licet major esse possit difficultas, conformiter tamen ad ea, quæ supra asseruimus de actibus immanentibus materialibus dicendum est circa illa objecta, quorum habet species posse Christum elicere actus intellectus, etsi dependeat hi actus ab actibus materialibus immanentibus sensuum: cum enim hos exercere possit, nil vetat quo minus possit etiam actus spirituales ad hos consequentes, in his siquidem minor est difficultas, quàm in illis, cum sint indivisibiles.

SECTIO SECUNDA.

An corpus Christi in Sacramento cerni possit oculo corporeo.

I. Prima sententia affirmat Christi corpus, ut in hoc Sacramento posse naturaliter cerni oculo corporeo.

II. Secunda sententia ait non posse Christi corpus in hoc Sacramento oculo corporeo videri naturaliter, posse tamen divinis.

TRES hac in re, exque diversissimæ sunt sententiæ, prima Nominalium asserentium corpus Christi ut in hoc Sacramento existit, posse naturaliter oculo corporeo videri: ita Ockam in quarto, quæst. 4. Gabriel lectio 45. Major in quarto, dist. 10. quæst. quintâ, & alii: addunt tamen Deum ad celandum mysterium, hanc visionem impedire, ut sit locus fidei.

Secunda sententia docet Christi corpus in Sacramento naturaliter videri non posse oculo corporeo, posse tamen divinitus: ita Sanctus Thomas in quarto, dist. 10. quæst. primâ, art. quarto, quod etiam docet dist. 11. quæst. tertiâ, art. primo, ad quartum, Divus Bonaventura dist. 10. quæst. ultimâ, Scotus quæst. 9. Waldensis, & alii, Soto etiam & recentiores Thomistæ. Unde Halensis quartâ parte, quæst. 49. membro tertio, art. octavo, §. secundo ait Beatissimam Virginem ex peculiari privilegio corpus Christi hic in Sacramento existens cernere. Denique Sanctus Thomas hic, quæst. 76. art. septimo ad secundum, asserit oculum Christi videre seipsum sub Sacramento, quod tamen negat de aliis beatis. Quamvis autem loco citato concedat oculum Christi videre se in Eucharistiâ, ait nihilominus eum non videre modum, quo in Sacramento existit; hoc enim, inquit, spectat ad solum intellectum.

Tertia demum sententia ita negat posse oculum corporeum naturaliter videre corpus Christi in hoc Sacramento, ut dicat id fieri non posse, vel divinitus: ita Capreolus in quarto, dist. 10. quæst. ultimâ, Richardus art. quinto, quæst. 2. Paludanus, Hispalensis in quarto, dist. decimâ, quæst. 1. art. 3. ad sextum argumentum contra quintam conclusionem, & alii. Hi tamen Auctores non videntur distinguere inter corpus Christi in Sacramento, & modum illius existendi, quæ tamen duo in hac quæstione maxime sunt distinguenda.

Supponimus corpus Christi esse gloriosum, & habere in se lucem; nisi enim sit lux, in objecto videri non potest, cum lux semper sit partiale objectum visus. Hoc ergo posito querimus, utrum oculo corporeo videre possit Christi corpus secundum omnes suas partes, brachia, pedes, caput, &c. in singulis spatii partibus existens.

Dico primò: Non est necessarium ad hoc ut res aliqua videatur, ut videatur etiam illius ubicatio: ita sentire videtur Coninck quæst. 76. art. 7. num. 19. Probatur: Ponamus rem aliquam corpoream, ignem exempli gratia, aut florem existentem coloratum, extensum, luce perfusum, in debitâ distantia, &c. existentem tamen per ubicationem supernaturalem, quod divinitus multi non repugnare asserunt, hic est totum quod requiritur ad actum visionis; est enim objectum corporeum, coloratum, lucidum, ergo poterit in illud ferri potentia visiva.

Secundò, si passum aliquod esset approximatum agenti per ubicationem supernaturalem, non puto quemquam negaturum quin agens effectum suum in illo sit producturum; nec enim ad aliud requiritur ubicatio, nisi ut inter se approximentur agens & patiens, quod cum fieri possit per ubicationes supernaturales, his positis eodem modo operabuntur, ac si approximarentur invicem per ubicationes naturales, sicut si per actiones supernaturales producerentur ignis & lignum, non minus in illud ignis ageret, quàm si actiones essent naturales, & tamen actio non minus est conditio ad agendum & patiendum requisita, quàm ubicatio, ergo sicut oculus videret naturaliter ignem conservatum actione supernaturali, ita & ubicatione, etsi hæc etiam entitativè foret supernaturalis.

Dices: Visio corporea non procedit modo præcisivo, ergo non potest præcindere ab ubicatione, & videre rem solum secundum se, abstrahendo à loco; hic enim proprius videtur modus operandi intellectus. Distinguo consequens, ergo non potest præcindere quando ubicatio est ei proportionata, concedo consequentiam, quando est improporcionata, nego. Unde hic quando videmus rem, simul videmus illius ubicationem, quia ubicatio & est naturalis, & naturaliter existens: sicut aliqui dicunt lucem in corporibus Beatorum esse diversæ rationis à luce in rebus hisce materialibus, & consequenter si una cum luce naturali esset in re aliqua materiali, ejusmodi claritas, oculus licet ferat in omnem lucem in objecto, ab illâ tamen necessariò præcinderet, cum ei foret improporcionata.

Dico tamen secundò, Christus in Sacramento existens non potest oculo corporeo naturaliter cerni: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ sextâ, art. septimo, quem ut initio sectionis vidimus, hodie exceptis Nominalibus, ferè omnes sequuntur. Probatur ratione Sancti Thomæ, quia

III. Tertia nonnullorum sententia est Christi corpus in Eucharistiâ ne quidem divinitus cerni posse oculo corporeo.

IV. Supponimus corpus Christi esse gloriosum, & habere in se lucem.

V. Si res aliqua videatur non est necessarium ut videatur illius ubicatio.

VI. Si passum aliquod appropinquatur agenti per ubicationem supernaturalem, agens effectum suum in illo producat.

VII. Obicitur visio corporea non præcindit, ergo non abstrahit à loco, seu ubicatione.

VIII. Christus in hoc Sacramento videtur oculo corporeo naturaliter non potest.

quia corpus Christi ut in Sacramento non potest emittere species in oculum, sine his autem oculis videre non potest: & quoad hoc idem est de oculo glorificato. Quando autem Sanctus Thomas ad secundum dicit, oculum Christi videre Christum sub Sacramento existentem, intelligendum est supernaturaliter: & in hoc fortè ponit differentiam inter oculum Christi, & alterius Beati, quòd oculus Christi in Sacramento existat etiam modo spiritali, ac proinde convenientius potest hujusmodi visionem consequi, quàm alius.

IX. Utrum autem ipse modus quo in Sacramento existit videri possit oculo corporeo supernaturaliter, sicut etiam utrum Angelus illum naturaliter intueri possit, primum pendet ab eà quæstione, an sit in entitate spiritalis, quod non est præsentis loci, secundum quorum objectorum etiam naturalium cogniti Angelis debeat, quod in primâ parte, in materiâ de Angelis fusè declaratum est.

SECTIO TERTIA.

De variis apparitionibus, quæ in hoc Sacramento cerni solent.

I. Tot, tamque insignes in omni orbis Christiani parte apparitiones in hoc genere acciderunt, quarum variis locis luculenta adhuc extant vestigia, ut obstinatissimus jure haberetur, quisquis eas negaret. Deinde, cum Auctores gravissimi fidèque dignissimi, qui iis locis ac temporibus degebant quando hæ apparitiones contigerunt, & nonnullarum oculati testes fuerunt, scriptis eas ad posteros transmiserunt, in dubium eas vocare, esset humanam auctoritatem contemnere, & fidem omnem abrogare antiquitati. Restat ergo, ut quâ ratione acciderint, declaremus.

II. Variis modis contingere possunt hæ apparitiones, ut ex Sancto Thoma notat Suarez hic, disp. quinquagesimâ quintâ, sect. primâ, & alii; quandoque enim contingit, ut mutatio tantum sit ex parte videntis, objecto planè eodem modo manente, cujus signum in primis est, ut notat S. Thomas, si uni tantum vel alteri appareat illa mutatio, cæteris species panis videntibus, quod nisi novum ponatur miraculum fieri non potest. Secundum signum à Sancto Thoma assignatum est, quando exiguo tempore manet apparitio, & statim postea species eodem modo videntur sicut ante illam apparitionem.

III. Per immutationem verò objecti tripliciter contingere possunt apparitiones circa hoc mysterium. Primò quando vel circa species sacramentales cernitur splendor aliquis, aut Angeli apparent cantantes, ut subinde contigit, vel species ipsæ ab uno loco miraculosè moventur in alium, aut immobiles adherent patenæ, vel aliquid hujusmodi. Secundò, quando subito mutantur in lapidem, aut aliud hujusmodi: sicut ergo in priore casu nullum esse potest dubium de præsentia Christi sub speciebus, ita in secundo certum videtur desinere ibi esse Christum, cum ibi amplius non manent species panis, ac proinde in illis casibus nihil illic aliud est, quàm lapis.

IV. Tertium itaque mutationum geaus, de quo solo hic loquimur, est quòd fit cum apparente ostensione corporis & sanguinis Christi, ut cum apparet puer in hostiâ, vel sanguis distillat, &c.

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

in quibus casibus inquirimus, an in iis verè cernatur Christus.

Affirmat Halensis, Gabriël, & alii: communis tamen sententia Theologorum cum Sancto Thoma hic, quæst. 76. art. 8. asserit contrarium, & si particula carnis hoc modo apparentis diu staret & servaretur, nefas est credere, inquit Sanctus Thomas esse carnem Christi, cum experientia doceat diuturnitate temporis mutari, & tabescere. Deinde tangi potest ac dividi, quod de carne Christi dici sine indecentiâ non potest.

Quæres: si id quod illic cernitur non sit caro & sanguis Christi, quidnam sit? Responderetur non esse veram carnem, & sanguinem, vel humanum, vel alterius animalis, ut volunt aliqui, sed colore & figurâ, vel in speciebus Sacramentalibus, ut vult Sanctus Thomas, vel in corpore aliquo vicino receptis carnem & sanguinem referre. Unde quando puer subinde in hostiâ apparet, nulla alia ibi fit mutatio, quàm quod accidentia & figura referentia puerum ibi producantur: hæc enim ratione faciliè omnia salvantur quæ in hujusmodi apparitionibus contingunt.

Solum inquirendum in his casibus restat, utrum in hujusmodi apparitionibus maneat adhuc Christus præsens in hostiâ. Ad hoc universim dicendum cum Sancto Thoma, quæst. septuagesimâ septimâ, art. quarto, & Theologis communiter, si in istis apparitionibus tanta fiat in qualitatibus immutatio, ut non maneret sub illis accidentibus substantia panis, desinere ibi esse Christum: sub quavis autem minore accidentium immutatione Christus adhuc manet sub accidentibus. Unde sola mutatio coloris non obstat quo minus adhuc ibi sit præsens Christus, imo nec moderata alteratio in aliis accidentibus.

Hinc infero, si non immutetur tota hostia, sed aliqua adhuc partes maneat etiam ad visum eodem modo quo antea, ut cum in medio hostiæ apparet puer, vel aliquid aliud, quicquid sit de partibus iis in quibus fit illa apparitio, in aliis manere Christum; nulla enim est ratio, cur sub iis desinat.

Quoad alias etiam partes, circa quas fit apparitio, videtur saltem ut plurimum manere Christus, ut affirmat Sanctus Thomas hic; ad hujusmodi enim apparitiones sufficit mutatio coloris, ut diximus, vel ad summum etiam figuræ, ad quorum tamen mutationem non destruitur in rebus earum substantia. Quod si magna aliqua rarefactio hic intercederet, vel temperamentum primarum qualitatum notabiliter mutaretur, desineret ibi esse Christus.

Hoc modo intelligendus est Sanctus Thomas dum dicit manente eadem quantitate & dimensionibus, manere Christum, secus si hæ mutentur; per eandem enim quantitatem & easdem dimensiones vult non debere nimium rarefieri species; sic enim non essent aptæ ad continentium sub se corpus Christi, sicut nec ad substantiam panis: & nisi hoc modo intelligatur Sanctus Doctor, sibi contradiceret, ut notat Suarez hic, disp. 55. sect. tertîâ, dum alibi sæpè docet mutatis notabiliter qualitatibus panis, desinere ibi esse Christum, si verò magna non fiat qualitatum mutatio, Christum ibidem manere. Hoc etiam probat communis Ecclesiæ consuetudo, quæ hostias hoc modo instar carnis aut sanguinis secundum aliquas partes apparentes diu servat, solemniter etiam quandoque in supplicationibus circumfert, & tanquam verum Eucharistiæ Sacramentum veneratur.

V. Putant aliqui in his apparitionibus cerni Christum.

VI. Quæres: quidnam ergo sit caro illa & sanguis.

VII. Vtrum factâ hujusmodi apparitione, maneat adhuc Christus in hostiâ.

VIII. Si adhuc partes aliqua manent ad visum immutata, manet sub iis Christus.

IX. In illis etiam partibus, circa quas fit mutatio, videtur ut plurimum manere Christus.

X. Quid vellet S. Thomas dum dicit, manente eadem quantitate & dimensionibus, manere Christum.



Dices: Si quando in hostiâ apparet caro aut puer, verè non videatur caro & substantia Christi, Deus homines deciperet, dum eos credere facit id se videre quod revera non vident, hoc autem dici non debet. Respondetur, nullam hîc interventre deceptionem; Deus enim eo solum sine hoc præstat, ut inducantur homines ad credendum verè Christum esse in Eucharistiâ, in quo nulla est deceptio, non autem ut credat quis carnem Christi esse ibi localiter præsentem: unde si quis hoc existimaret, esset ab aliis de veritate instruendus.

XI.
Ex his non sequitur illo modo Deum homines per huiusmodi apparitiones decipere.

Quæres: Unde dignosci possit, an species ita sint immutata, ut non maneat sub iis corpus Christi? Respondetur, signum optimum per quod plerumque dignoscitur an maneat alicubi substantia panis & vini, esse odorem, & saporem, sed quia quando hoc modo immutantur species, non soleant homines eas gustare, aliunde inquirenda sunt huius rei indicia. Si ergo vertatur in lapidem, ut supra diximus, videtur omnino certum non manere ibi substantiam Christi. Quod etiam quando vertitur in carnem aut sanguinem ad punitionem perfidie alicuius dicendum est; tunc enim verisimile est Christum velle se illi subtrahere. Si verò verti Sacramentum quandoque videatur in carnem aut sanguinem ad consolationem assistentium, qui ad piè illud colendum accedunt, probabilius videtur,

XII.
Qua ratio. ne cognoscamus quando species ita sint mutata, ut sub iis desinat esse Christus.

manere Christum, & mutationem solum fieri accidentalem, saltem, si mutatio illa duret brevi tantum tempore, ut ferè in his casibus contingit; si enim mutationes essent diuturnæ, probabilius videtur Christum ibi desinere esse, nec ea miracula fiunt ad testandum Christum ibi esse, sed fuisse, ut bene Coninck hic, disp. 76. artic. 8. dub. 2. num. centesimo trigesimo sexto. Quando verò ex hostiis confossis effluit sanguis, non est verus sanguis, nec ex venis Christi effluere potest, cum Christus existat modo indivisibili, ut ostendimus, & præterea corpus habeat impassibile.

Quid autem Sacerdoti, cui in Sacro huiusmodi aliquid contingeret, faciendum sit, dissident Auctores; etsi enim omnes conveniant, dum manet illa mutatio, non teneri ipsum species illas sumere, & expectandum ei esse donec perspiciat utrum mutatio solum sit temporanea, ut tunc species sumat, si priori formæ reddantur: si tamen mutatio sit perpetua, dicunt aliqui teneri ipsum denuò consecrare, quia putant ex præcepto divino teneri Sacerdotem sumere Sacramentum: alii tamen negant, sed dicunt Deum in hoc casu dispensare, cum Sacramentum in tali statu ponat, ut sumi non possit, quod affirmat Sanctus Thomas infra, quæst. octogesima secunda, art. quarto, ad tertium, licet ibidem addat, consulendum esse illi Sacerdoti, ut iterato corpus & sanguinem Domini consecret, & sumat.

XIII.
Quid faciat dum sit Sacerdoti, cui aliqua huiusmodi mutatio in sacro contingeret.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

De speciebus panis & vini, quæ post consecrationem remanent in hoc Sacramento.

Sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum, ut vidimus, duobus constat, corpore scilicet & sanguine Christi primariò, secundariò autem panis & vini accidentibus. Discussis ergo iis quæ ad præcipuam Sacramenti partem pertinent, restat nunc ut de minùs præcipuâ agamus, quantitate scilicet & reliquis accidentibus, sub quibus Christus continetur, de quibus varia occurrunt inquirenda, ut ex S. Thoma constat hîc, Quæst. septuagesimâ septimâ, ubi octo articulos in variarum hac de re difficultatum discussione impendit, quas, Sancti Doctoris vestigiis insistentes, hîc expediemus.

SECTIO PRIMA.

Quo pacto quantitas, & alia accidentia maneat in Eucharistiâ.

I.
In Philosophiâ ostensum est dari accidentia physica realia.

DISPUTATIONE duodecimâ Philosophorum per totam probavi, dari accidentia physica realia, quantitatem, scilicet, colorem, saporem, &c. idque citra errorem in fide negari non posse ostendi: variis insuper rationibus phi-

losophicis eandem veritatem firmavi. Nunc ergo Theologica de iis instituenda est disputatio, prout nimirum ad Sacramentum Eucharistiæ constituendum concurrunt. Quod enim dicit Petrus ab Alliaco, dignosci nimirum sensibus non posse, utrum hæc accidentia vera sint an apparentia, posseque probabiliter affirmari non esse vera, hoc inquam sustineri non potest; sic enim nullum ex sensibus certum haberi posset cuiusmodi obiecti experimentum. Deinde, quod caput est, hoc asserere est contra Fidem, & si accidentia hæc